DE GESTATIONE SUB RESPECTU HYGIENICO ET THERAPEUTICO CONSIDERATA...

Angelo Testa

DE GESTATIONE

SUB RESPECTU HYGIENICO ET THERAPEUTICO
CONSIDERATA

Dissertatio Inauguralis

QUAM
AD MEDICINAE LAUREAM
IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO
ADIPISCENDAM
PROPONIT

TESTA ANGELUS

EX AGRO PATAVINO



PATAVII
EX TYPIS VALENTINI CRESCINII
1841.

OPTIMO PATRI

FILIUS.

Ea hygienis pars exercitii emolumenta variasque ejus executionis rationes edocens, *gymnastica*, a cujuscumque aetatis medicis atque philosophis insignis contra morborum evolutionem prophylaxis celebrata est. Patet cuilibet, quid exercitii nomine intelligatur; innotescit quoque hoc vel *activum* vel passivum esse: sed si apud plerosque activi exercitii effectus satis concipiuntur atque utiliter applicantur, passivum exercitium, qua momentum pro valetudine faciens, non adeo aevo nostro computatum et fere a medicis ipsis neglectum videtur, unde raro de ejus operandi modo disceritur, et raro consilia referuntur adaequata. Quapropter sedula ductus observatione, quum in eam sim adventus sententiam, posse juxta rerum circumstantias, in specie pro divite hominum coetu, passivum exercitium praestantiorem prophylaxim, efficace remedium et insuper inter remediorum formas jucundiorem evadere, de hocce argumento, legi accademicae obtemperaturus, pro me inaugurali specimine, agere ratus sum, illud tum hygienico cum therapeutico respectu considerans.

Passivum corporis exercitium idem ac gestatio sonat, quae vel equite, vel rheda, vel tolleno (altalena), vel nave et sic pluribus effici potest. Ejus immediatus effectus in occulti quidem sed non minus certi fibrosae variorum organorum structurae occurentis motus excitatione consistit. Cuncti organici textus, quomodocumque constituti, peculiarem experiuntur succussionem, per quam excitantur, firmiores ac validiores redduntur, *toni* scilicet augmentum acquirunt, eorumque functiones alacritate ac facilitate expeditiori exercentur. Id praesertim locum habet quum relaxatio vel debilitas sive in organis sive in functionibus prius existat, quemadmodum a veteribus Medicinae patribus jam notatum » *Omnis gestatio potest habitum corporis firmare, et actiones stupidas excitare* » Oribasius. —

Gestationis in digestione effectus.

Durante gestatione, equiti exempli gratia facta, ventriculus, haepar, intestinalis tractus, totus uno verbo digestivus apparatus perennem concussionem recipit quae in causa est ut organorum robur et functionum vigor faveantur. Si stomachus est vacuus, gestatio digerentes exsuscitat facultates; appetitum acuit, famemque inducit. Si vero illius cavitas ab ingestis substantiis mediocriter est repleta,

omne Chylopoeticum sistema a gestatione excitatum facilitate atque uberiori alacritate nutrientis materiei confectionem absolvit, et consequenter roboris augmentum tota aeconomia recipit. Quocirca homines anorexia vel digestionis difficultate adflictati beneficia a gestatione evidentius percipiunt, in specie si haec ante prandium exerceatur. Post prandium autem quoad gradum moderata, et quoad modum placida fieri gestatio debet. Quotidie nos observatio docet, valetudinarios, digestione laboriosa quaerulos, a molesta satietatis sensatioui equitatione modica vel inambulatione mediante rheda facta facile liberari. Et e contra in quolibet individuo activum, praesertim si violeas, exercitium paulo post prandium actum potius nocet. Stomachus revera vehementer excussus non amplius regulari ordine contrahitur, functiones suae perturbantur, et in musculis voluntati subjectis illa vitalis vis atque energia dissipatur quae nutritionis organis maxime inservire deberet.

Verum non in solo digestionis processu gestatio utiliter influit. Omnem abdominalem sanguinis circulationem in specie portarum venae sollicitat. Quocirca in hepaticum agit systema, bilis secretionem atque excretionem facilitans; peristalticum intestinorum motum accelerat, unde fit, quod Chimus lactiferorum vasorum ostiolis regularitate ac ce-

leritate majori se se objiciat et Chylus liberiori cursu systema sanguiferum adeat.

In Circulationem Universalem.

Potenter gestatio in circulationem pro animali aeconomia adeo momentosam agit. Circuli sanguinei aequilibrium facilitat, pulsum lentiorem, pleniorem ac naturali suo rhytmo magis consentaneum reddit. Observatores plures, et inter alios Anglicus D.r Smith, navigatione in chronico pulmonum catarrho usus, prolatos testantur effectus. Quocirca qui nimia muscularis systematis irritabilitate atque totius nervosi mobilitate instruuntur, a motu moderato vel equiti vel cum rheda aut nave maximum adjumentum consequi possunt. Cordis revera palpitationes, pulsuum intermissiones aliaeque irregularitates, auxilio tali, persaepe evanuerunt; et ita morbi nonnulli organicae iasanabilis naturae crediti felici cum successu curati sunt.

In respirationem.

Quoniam gestatio pulsus cohibet celeritatem, et aequabiliter sanguinis massam distribuit, consequitur, quod sub ejus usu minor quam in quietis statu sanguinis quantitas systema pulmonale adeat et comparative valde

minor quam sub activo spontaneo excercitio, cujus ope sanguis velociter pulmonibus impellitur. Quapropter gestatio in pluribus viarum aerearum affectionibus commendatur et praefertur, asthmate v: g:, consumptione, habituali dispnaea ipsisque cardiopathiis pulmonali textui sive organorum contiguitate sive ab emargenti obstructa circulatione noxiis.

In Absorptionem.

Quaevis gestationis ratio augere aut saltem absorbentium vasorum in tota aeconomia energiam sustentare videtur. Quod osculorum lymphaticorum actio internae intestinalis tractus superficiei a passivo corporis exercitio excitetur, a facto deduci liceat, eos nempe qui equitatione exercentur defecationes magis siccas, duras ac volumine minores exibere quam illos ab hacce consuetudine alienos. Similiter propter gestationis successiones absorptio cellularis textus sollicitatur; et persaepe idiopathicae artuum tumefactiones ceteraeque cellulares imbibitiones evanescere cito equitationis vel rhedae ope conspiciuntur.

In secretiones atque exhalationes.

Res est notata digna sed equidem certa equitationem vel rhedam secretiones pariterque exhalationes *nimias* imminuere, et e contra *tor-*

pentes augescere. Tali itaque pacto diversis sub conditionibus effectus oppositos gestatio exerit. Attamen excedentes quum infringit evacuationes, eas haud cum detrimento reprimit, neque organorum torpidas sussitans functiones stimulum inconcinum offert, quod idem est, auget vel adeo imminuit ut aequilibrium salutare oriatur. » *Secretiones aut non adaugentur aut secundum naturae ordinem tantummodo intenduntur* » Lorry.

In Nutritionem.

Favet gestatio nutritioni et praesertim sanguificationis processui. Equitantes solemne porrigunt argumentum. Eorum revera constitutiones in genere sanguineae reperiuntur; complexione florida notantur; activis haemorragiis affectionibus flogisticis, plethorae, morbis a virium excessu exorientibus facile obnoxii.

In sensationes.

Maxime in nervos gestatio influit eorum excessivam corrigens sensibilitatem atque spasmodicas affectiones praeoccupans. Effectus revera gestationis in sanguiferum systema cum quo nervosum intime connectitur, rationem reddunt quod nervosa incitabilitas moderetur atque aequilibretur. Propter hanc facultatem in parte

et singillatim ab moralium effectuum aeri libero se se evolventium considerationem, energiae intellectualium functionum augmentum, constanter gestationi subsequens, intelligere datur. Quotidie v. g. individua incomodis sive sinceris sive immagiuariis correpta luculentam ab apertis campis ameliorationem acquirere vidémus. Aer purus, inspiratus, naturae multiformis spectaculum una cum mechanico itineris passivo motu non parum conferunt ut spiritus sublevetur, melancholicae ideae desistant et functiones tum sommaticae tum psychicae normali aequilibrio restituantur.

Gestatio qua auxilium prophytacticum.

Jam satis compertum est quantum passivum corporis exercitium pro organorum evolutione infantibus contribuat; ea nempe aetate, qua motus spontanei activi gradu valde restricto efficiuntur Sagax idcirco puerorum educatio id respicere debet, quod infantes per loca varia etiam aperta a nutricibus gerantur. Et reapse illa proportione qua hujusmodi adimpletur exercitium, vegetus puerorum robur, membrorum agilitas totiusque corporis vivacitas omnino cum habitu laxo torpido, faciei pallore, sensuum stupiditate eorum continuo quiescentium adversari conspicitur.

Juvenili aetate exercitium musculare, acti-

vum, magis quam passivam confert. Haecce vitae periodo organa locomotioni inservientia excessa, ut ita dicam, vitalitatis providentur et haec dispendium constans jubet. Naturae profecto pro cursu, corea, ceterisque solatiis cum labore peractis proclivitas obtemperanda magis est.

Virili aetate passivum cum activo motu copulare sagax est. Virilitate enim quaedam plethorae species in abdominali circulatione cam actionis irregularitate in organorum digerentium functionibus exoriri incipit. Quapropter motus mediante equite vel rheda adversus plethoram gradu notabili reagit, suaeque integritati digestionis functiones restituit. Attamen quoniam tali auxilio sanguificationis processus intenditur, gestationis temperantia et simul diaeta, remedia aperientia, et juxta circumstantias sanguinis quoque depletiones commendantur.

Si infantibus gestatio pro organica evolutione fere est necessaria, senibus admodum utilis evadit, tum quod vitales et organicae sustineantur vires, tum quod provectum senium praeservetur. Locomotionis organa revera in senectute activo corporis exercitio minus aptantur, et aliande inactivitas digerentium functionum languorem simulque malorum sociorum catervam adducit. Gestatio praestantiorem prophylaxim ministrat.

Exercitium attamen passivum limites agno-

scere debet, potest enim interdum nocere. Temperamentum v. g. sanguineum et non raro biliosum aegre a gestatione ipsa em olumenta quam nervosa constitutio obtinet. Dispositio pro corpulentia, plethora, vel nimia bilis secretione cum activo motu, temperantia atque purgantibus est potius praevenienda. Caeteris paribus sexui sequiori melius quam masculino gestatio competit. Denique quoud loca, ager apertus praefertur; aer enim purus ipsaque lux notabiliter ad effectus exercitii salutiferos augendos influunt.

Gestatio qua auxilium therapeuticum.

Utut problematici gestationis effectus ab aliquibus auctoribus in febribus puris inflammatoriis aut biliosis assignatis retineantur, certum tamen est, plures febres lentioris decursus ob aegri ab urbe in aliam urbem vel aeri libero traslocationem esse mitigatas. In intermittentibus rebellibus equitatio admodum salutifera experiebatur. In reconvalescentia autem cujusvis febris passivum exercitium maxime efficax evadit adeo, ut prae caeteris auxiliis secernentium et assimilantium organorum functiones expedite pristinae restituit integritati. Res erat jam veteribus nota et magni facta. « *Gestatio longis et jam inclinatis morbis aptissima est; utilisque est et his corporibus,*

282

quae jam ex toto febre carent, sed adhuc exerceri per se non possunt: Celsus.

Emolumentum aliquod potest a gestatione in nonnullis quoque phlegmasiis obtineri, praesertim in chronicis membranarum muciperarum turgoribus cum copiosa muci secretione e textuum relaxatione inde pendente associatis. Successiones a gestatione enascentes adeo praestant ut sanguinis insidentes congestiones discipentur et membranarum tonus redintegretur. Gestatio rhedae ope in chronica diarraea, quaemadmodum Celsus observavit, valde utilis. Idem pro Chronico catarrho dici potest. Et pro certo multiplices sive pulmonum sive stomachi affectiones a gestatione profligabantur.

Caeterum passivum exercitium chronicis in textubus serosis vel parenchymatosis texturis residentibus inflammationibus, ex. g. in phrenitide, peritonitide, pneumonia tam acuta quam chronica nocet. Ictus enim gestationis irritationem causant atque inflammatorium molimen hisce in organis aut textubus progrediens incitant-Equitatio pro pulmonali consumptione ab aliquibus coelo tollitur ab aliis absolute damnatur. Probabiliter in primo casu agebatur de chronico catarrho qui cum phtisi confundebatur, et in secundo phtisis qua chronica pulmonum inflammatio credita est. In ecthisi genuina gestatio cum moderatione adhibita confert. Idem contingit si de intervallis paro-

xysmorum vel podagrae vel habitualis rheumatismi sermo est.

In hemorragiis activis admodum dubios passivum exercitium effectus exerit et potius damnatur, quum potenter sanguificationis processum promoveat; sed in passivis, quia circuli sanguinei eqailibrium ponit atque textubus debilitatis, hemorragiae causa, vigorem sive tonum adjungit, insigne praestat adjumentum. In profusa menstruatione persaepe rhedae usus immediatam profluvii imhibitionem induxit, dum cetera auxilia incassum applicabantur. Viceversa, experientis teste, si menstrualis fluxus deficit ab ipsa rheda non raro promovetur.

In morbis nervosis ampliores et certiores salutiferos effectus gestatio gignit. Hypochondriasis, melancolis, cordis palpitationes, musculorum spasmi, convulsiones ab exercitio cum equite vel rheda frequentius tutissimum remedium obtinent. Exempla hujusmodi apud omnes Medicinae practicae auctores prostant.

Concludimus, in morbis cunctis irregularitate circulationis atque excitabilitatis cum organicarum functionum consequenti perturbatione notatis haud dubium praesidium gestationem afferre.

THESES.

1. *Non aetas sed ratio et genius medicum faciunt.*

2. *Animi Medici rectitudo est valde momentosa das.*

3. *Medico phylosopho mors ipsius vitae phaenomenon obscurum sistit.*

4. *Vita a vita sustinetur.*

5. *Veterum praecepta cum meditatione amplexanda.*

6. *Pulsus parvus haud semper venae sectionem prohibet.*

7. *Medendi simplicitas, semper praeferenda.*

8. *Judicium de morbis nunquam satis cautum.*

9. *Medicus physyognomon in mentis alienationibus mogis prodest.*

10. *Infantum educatio plurium morborum causa.*

11. *Scrophula non ex debilitate digestionis, sed potius ex faciliori digestione oritur.*